



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

77. An si quis insultum faciat ad domum Cardinalis, vt ex hoc ei
verecundiam tantum inferat, incurrat in excommunicationem Bullæ
Cœnæ? Ex p. 5. tr. 2. res. 82.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

teneo in fauorem dominorum Cardinalium, atque illam præter Doctores citatos tenet etiam Albanus de Cardinalibus, *quest. 47.* in casu contingenti omnino videndus, qui respondet ad argumenta quæ pro contraria sententia docet Corsetus *vbi supra.* Nec desinam hic apponere exemplum Cardinalis Ximenij Archiep. Toletani, qui, teste Gomezio de rebus gestis Ximenij lib. 3. & Roufello in *histor. Pontif. iur. lib. 2. cap. 10. num. 18.* cum audiret strepitum trahentium quemdam ad furcas, iussit illum exolui, id permissi suæ dignitati asserens.

RESOL. LXXVI.

An si quis eiciat Cardinales à terris, in quibus nati sunt, aut domicilium habent, incurrant excommunicationem Bulla Cæna, si non exercent Legationem aliquam?

Et quid si solis verbis comminatoriis, quis eiciat prædictos Cardinales si ob minas actus relinquunt loca?

Idem dicendum est in prædictis casibus de iussa exequentibus, quia huiusmodi censentur vna persona cum mandante.

Et an idem dicendum sit de Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Legatis Sedis Apostolicae, & Nunciis? Ex part. 5. tract. 2. Res. 82.

§. 1. Negatiuam sententiam docet ex Vgolino Duardus in *Bulla Cæn. lib. 2. can. 11. q. 6. n. 6.* vbi sic ait. Ad contrahendam prædictam excommunicationem oportet, vt dicti Antistites eiciantur à prædictis locis, dummodo sua sint, id est, in eis iurisdictionem habeant ratione suarum dignitatum, siue iurisdictionis spiritualis sit, siue temporalis. Nam quamuis nomen illud suum sit æquiuocum, vt habetur ex Bart. *l. cum in testamento, ff. de aur. & argent. leg. & l. ason in l. pecunia n. 2. ff. si cer. per.* atque aded aliquando significet dominium & proprietatem vt in *l. 2. ff. de relig. & sumpt. funer.* aliquando id, quod de facto tenetur, vt ait Bart. *in rub. E. de verb. sign. n. 5.* & aliquando id, quod sub cura & administratione habetur, vt per gloss. *in c. 2. ver. rebus suis.* vbi etiam Felin. *de iur. iur.* nihilominus hoc loco per ly suis, significatur dioceses, territoria, & terra, seu dominia, in quibus Cardinales, Patriarchæ, Archiepiscopi, & Episcopi Apostolicæ Sedis Legati, & Nuncij iurisdictionem ratione suarum dignitatum obtinent, siue iurisdictionis sit temporalis, siue spiritualis simul, qualis est quam habet Episcopus Imolensis Bagnariæ, siue spiritualis tantum, vt Episcopi in suis Diocesis, quas habent in locis aliorum Principum, & legati ac Nuncij in suis locis. Vbi eorum munera obeunt. Archiepiscopi & Patriarchæ in suis Provinciis, & Cardinales in suis Ecclesiis titularibus, quoniam hoc priuilegium ob eas dignitates ipsis concessum est. Ita Duardus, cui adde Soufas in *Bulla, c. 12. ante disputat. 60. numer. 3.* Coriolanum in *Bulla Cæn. excommunic. 4.* & Filiucium *tom. 1. tractat. 16. cap. 9. num. 248.* & Reginaldum *tom. 1. lib. 9. cap. 20. num. 225.*

2. Sed ego contrariæ sententiæ adhæreo, quam tuetur Scortia in *Bulla Pontif. ept. 166. theorem. 420.* Naldus in *sum. ver. Bulla Cæn. num. 46.* Alterius de *conf. tom. 1. lib. 5. disput. 12. c. 4.* & Bonacina in *Bull. Cæn. disp. 1. q. 12. punct. 1. num. 17.* & ratio est, quia in hoc casu verificantur verba Canonis absolute excommunicantis efficientem præfatos Cardinales, vel Prælatos à terris suis, terra enim quæ alicui titulo patrimonij, hæreditatis, originis, vel domicilij competit,

juxta communem & vulgarem loquendi modum dicitur sua.

3. Sed obiicies, Papa istam excommunicationem imposuit fauore dignitatum, alioquin ipsarum mentio frustra hic facta fuisset; ergo vt quis excommunicationem contrahat, debet expellere Prælatum à loco, in quo spirituales, vel temporales iurisdictionem habeat ratione dignitatis, non titulo patrimonij, aut alia ratione. Resp. etiam si Papa in gratiam dignitatis hoc priuilegium concesserit, nihilominus cum absolute & indistinctè loquatur, par non est vt nos hoc priuilegium ad terras ratione dignitatis subiectas restringamus, & in hoc casu non solum iudices & Principes, sed etiam iussa exequentes in dictam excommunicationem incidunt, quia huiusmodi censentur vna persona cum mandante Cardinales eici, & idem est vtiusque delictum, vt patet ex ipso Soufa. *vbi sup. n. 4. & c. 10. disp. 58. conclus. 3.*

4. Notandum est etiam hinc obiter incidere in dictam excommunicationem si quis eiciat Cardinales modo quo supra, solis verbis comminatoriis? requiritur tamen effectus, id est, vt Cardinalis ob minas actus relinquat loca, vbi moratur, & recedat. Ita Alterius de *conf. tom. 1. lib. 5. c. 4. in fine.* Scortia, Duardus & Bonacina *vbi supra,* quibus adde Filiucium *tom. 2. tr. 16. c. 19. n. 249.*

RESOL. LXXVII.

An si quis insultum faciat ad domum Cardinalis, vt ex hoc ei verecundiam tantum inferat, incurrat excommunicationem Bulla Cænæ? Ex part. 5. tract. 2. Res. 81.

§. 1. Negatiuè respondet Acosta in *Bulla Cruc. q. 65.* Sayrus *lib. 3. c. 65. n. 6.* Filiucius *tem. 1. tract. 16. cap. 9. n. 145.* Duardus in *Bulla Cænæ, lib. 2. can. 11. q. 7. n. 3.* Barbosa in *Collectan. Doct. in 6. Decretal. lib. 5. tit. 9. c. 5. num. 7.* & alij, quia in tali casu sic facientes non dicuntur Cardinales hostiliter insequi, contra quos Bulla infert excommunicationem, & cap. felicitis alias pœnas.

2. Verum semper mihi magis placuit opinio Alterius de *conf. tom. 1. lib. 5. disput. 12. cap. 4. col. 4. fol. 616.* vbi ex multis validis rationibus probat sic facientes in censuram Bullæ incurtere, quia verba legis iuxta finem, propter quem edita est, intelligi debent, ex *l. in agris, de acquir. rer. dom. & cap. finali, de prob.* Sed finis Summi Pontificis in Bulla fuit prouidere dignitati Cardinalium, vt ab omnibus debito honore afficerentur, & à nemine laederentur. Verum huic fini non satis prospectum fuisset, si censura lata esset solum in eos, qui Cardinales insequerentur dum fugerent, vt euitarent manus insequentium, nisi comprehenderet etiam illos, qui insultum facerent in eorum domos, nam quamuis illa obfessio non ordinaretur ad pœnam, vel actum iudiciale contra illos, tamen reuera est ignominiosa ipsi Cardinali, neque fieret sine graui eiusdem Cardinalis iniuria: ergo, &c. Reliquas rationes videbis apud Alterium *loc. cit.*

RESOL. LXXVIII.

An offendentes Cardinales incurrant crimen læsæ Maiestatis, & quid, si contra illos tantum verba iniuriosa protulerint?

Et an ipse Imperator offendens Cardinalem aliquo modo expresso, sit reus læsæ Maiestatis?

Et in textu huius Resolutionis proponuntur 37. pœnæ, quæ